HENRICI POLSTORFF

IN IUVENALIS SATIRAS

OBSERVATIONES CRITICAE.

WISSENSCHAFTLICHE BEILAGE

ZUM

PROGRAMM DER DOMSCHULE (GYMNASIUM) ZU GÜSTROW OSTERN 1896.

GÜSTROW.

DRUCK DER RATSBUCHDRUCKEREI VON C. MICHAAL & A. SCHUSTER.

1896. PROGR. Nr. 665.

In crisi Iuvenaliana multum his decem annis profectum est. Et comparanti mihi inter se eorum, qui in tractandis satiris nuper versati sunt, virorum doctorum iudicia primum id videtur effectum esse, ut tandem aliquando nimium istud damnandi atque delendi studium, cuius ardore dimidia fere versuum parte poeta spoliatus erat, defervesceret atque resideret. Neque id mirum: nam eorum, quos expungi voluerunt critici, versuum haud pauci ita sunt comparati, ut neque ullam inserendi causam deprehendas, neque delendi argumenta satis magna invenias, deleti sunt multi, quia non aequiperare videbantur id, quod critici animo finxerant, singulare poetae ingenium, aut quia facile poterant salva reliquorum versuum specie omitti. Et praebent satirae illae quidem praestandae sagacitatis occasionem, quippe quae sint poetae, qui, ut ait Iahnius, sententias captat, verborum nominum exemplorum copia abundat et e rhetorica disciplina loquax accumulandi finem vix invenit, institutam disponendi rationem non ita diligenter sequitur, sed a proposito saepius aberrat: sed verum quaerenti in aestimandis locis singulis diligentissime reputandum esse, num coniuncta sit cum facilitate delendi necessitas, quis est qui neget? Nunc ubi rediit animus, iusto faciliores fuisse criticos ad ponendas interpolationes cognitum est: adeo delendi furor superaverat accurate examinandi studium, ut haud paucis locis Iuvenalis misere decurtatus et laceratus tamen praeberet membra desectis simillima, quibus temperatum non esse, nisi propterea quod sectio fieri non poterat salvis eis, quae circa sunt, membris, manifestum erat. Ita fieri non potuit, quin multis locis accurate interpretanti et acriter id agenti, ut servarentur quae servari possent, cederent delendi argumenta facile proposita faciliusque accepta et repetita. Quae cum ita sint, mirum non est longe aliter de hac re sentire huius aetatis criticos, velut qui de satiris optime meritus est Franciscus Buecheler in praefatione (1893 pag. XIV) nullum nostri exemplaris versum idoneis argumentis non esse Iuvenalis demonstratum esse censuit. Quod verum an falsum sit, haud facile dixerim: vereor, ne unus aut alter versus spurius recte dicatur. Quae res utut se habet, de suppositis Iuvenali versibus hodie magis quam antea modo et ratione disputari in aperto est.

De codicibus Iuvenalis recte existimandis Carolus Fridericus Hermannus et Otto Iahnius quaerendi viam demonstraverant. Sed quamquam conlatis singulorum codicum lectionibus omnium librorum integerrimum et praestantissimum esse unum codicem Pithoeanum sive Montepessulanum evicerant, reliquos ad unum omnes interpolatos esse confirmaverant, tamen non deerant, qui, cum lectiones codicis P non esse genuinas censerent, sed e coniecturis Petri Pithoei, eius qui codicem in bibliotheca sua habuit ex eoque a. 1585 satiras edidit, factas esse dicerent, reliquorum codicum auctoritatem veram esse opinarentur. Et ne hoc die quidem prorsus desunt, qui vulgatam recensionem retinere, quam codicis P vestigia sequi malint. Sed esse unum hunc codicem integrum textus satirarum restituendi auctorem et quasi ducem crisis Iuvenalianae cum e lectionibus codicum sine ira et studio perpensis apparet, tum ipsorum codicum natura atque condicione constat. Nam non potest dubitari, quin omnium codicum reliquorum lectiones e

recensione corrupta manaverint, cum multis locis cognosci possit, quibus causis commotus interpolator lectiones genuinas mutaverit[1]. Deinde conlationibus codicis Pithoeani maxima cum cura nuper et a Beerio[2] et a Buechelero[3] institutis non solum multas huius codicis lectiones easque bonas, quae antea manus emendatricis esse putabantur, re vera esse primae manus constat, sed etiam manifestum est primae manus erroribus, quippe qui non inhaereant recensioni sed librario, adeo non imminui libri auctoritatem, ut ex ipsorum errorum natura cognoscatur eum, qui scripsit codicem, »e vetusto integro optimo exemplari textum hausisse, fidelissime atque adeo paene pueriliter memoriam servasse, nihil de suo addidisse«[4]. Quae cum ita sint, incertum esse non potest, utra harum recensionum praeferanda sit, et verum fit illud, quod censuerant Iahnius et Hermannus: in arte critica in Iuvenalis carminibus factitanda, cum antiquissima satirarum recensio et ea e puro fonte ducta extaret in uno codice P, id maxime agendum esse, ut prima huius codicis manus restitueretur et emendaretur.

De codicibus autem interpolatis in crisi Iuvenaliana adhibendis verum non viderunt qui prorsus respuendos eos esse censent; recte hac quoque de re existimasse Iahnium disquisitionibus summa cum diligentia atque subtilitate institutis huius aetatis viri docti iidem videntur vicisse. Iahnius enim[5], etsi codicem P omnium principem esse constaret, tamen ceteris codicibus criticos carere ullo pacto posse ab initio negaverat; nam non uno loco in P casu excidisse vel depravatum esse, quod in codicibus interpolatis casu extaret vel recte scriptum esset, cum neque is liber, unde P originem cepisset, a vitiis immunis fuisset aut qui inde descripsissent non multa neglegentia peccassent, et in eo exemplo, quod Nicaeus cum Servio interpolasset, fieri non potuisset, quin multa, ita ut a poeta scripta fuissent servata, integra a librariis transcriberentur. Quamobrem cavendum esse, ne quis opinaretur in P omnia recte, in libris interpolatis omnia prave scripta extare. Haec vera esse accuratius exponit in libello suo[6] Hosius, qui congesta exemplorum nube atque perpensa haud paucis locis, quibus lectio tradita servari non potest, codices deteriores omnes docet congruere cum Pithoeani prima manu, aliis locis unum vel alterum codicem aut cum P genuinam lectionem exhibere aut idem atque illum vitium praebere confirmat, ut appareat recensionem interpolatam et Pithoeanam, quamvis sint dissimiles, tamen non contrarias inter se atque inimicas esse, sed quasi cognatione quadam contineri. Sequitur cavendum esse, ne quis illos codices nullius momenti esse ad veram poetae manum restituendam opinetur. In eandem sententiam paucis disputat Buecheler[7], qui exemplar illud, quod et Pithoeani manus emendatrix(p)et codices interpolati (ω) sequuntur, nobis plane necessarium esse censet.

Quod cum ita sit, non dubitamus facere cum Beerio[8], cum dicit rationes emendationis Iuvenalianae Hermanni et Iahnii arte constitutae eo magis nunc firmatas esse, quo plenior facta sit nostra codicum cognitio et verior existimatio, cumque monet non sine magno crisis Iuvenalianae damno discedi posse a via ac disciplina omni ex parte stabilita.

Sed cum ex eis codicis P, quibus usus erat Iahnius, conlationibus ne una quidem ita fuisset comparata, ut certum de singulis locis iudicium ferri posset, non sine causa multi saepe postulaverant, ut codice denuo conlato singulisque lectionibus accuratius excussis certum artis criticae fundamentum iaceretur. Weidner quidem in priore editione dixerat opus esse codicis P conlatione summa cum diligentia atque accuratione facta et eorum maxime locorum, ubi radentis vel corrigentis vestigia invenirentur; aucto apparatu sperari posse fore, ut non unus locus ad id tempus corruptus in integrum restitueretur. Nunc nova codicis conlatio est in manibus post

---

[1]) Cfr. Hosius, apparatus criticus ad Iuvenalem. Bonnae, 1888.
[2]) Spicilegium Iuvenalianum, Lipsiae 1885.
[3]) A. Persii Flacci D. Iunii Iuvenalis Sulpiciae saturae. Editio tertia. Berolini 1893.
[4]) Beer p. 52.
[5]) 1868 p. 8s.
[6]) p. 46—71.
[7]) 1893 p. XVI.
[8]) p. 52.

Beerii conlationem[1]) ab ipso Buechelero summa cum diligentia instituta et in exemplari Iahniano iterum recognitō foras data (1893), ut singulis manibus et lectionibus accurate distinctis et exscriptis, quid quoque loco prima manu tradatur, non tradatur, pro certo sciamus. Ita et e Beerii libello et e Buecheleri editionibus maximum crisis Iuvenaliana fructum cepit.

Sed quamquam sedata est interpolationum suspicio et verior facta codicum existimatio et in lucem edita conlatio codicis optimi diligentissime instituta, tamen nondum omnes, quae in Iuvenale propositae sunt, quaestiones videntur persolutae esse, sed haec quoque aetas in satiris quod agat inveniet: hodie quoque et emendandi et interpretandi ope textus Iuvenalis eget. De emendandis autem verbis singulis, qualia sunt in codice optimo, multis locis adhuc sub iudice lis est; sunt qui emendandi cupiditate transversi agantur, nec desunt qui conservandi studio, quominus verum videant, impediantur. Quod cum ita sit, non uno loco ambigitur, utrum recipienda sit lectio Pithoeana, an coniectura videatur opus esse. Huiuscemodi exempla nunc pauca tractare liceat.

I. 69 squ.

occurrit matrona potens, quae molle Calenum
porrectura viro miscet sitiente rubetam.

Ita vulgo hi versus leguntur et adnotavit Buecheler: *rubetā P, lineolam superduxit iam P opinor.* Sed Beerius in Spic. Juv. p. 59 s. optimum codicem statuit praebere *rubeta* et docuit recepta lectione, quae est *rubetam,* evadere sententiam perversam[2]), restituta demum lectione *rubeta* verum colorem inducere imaginem. Qui *rubetam* servarunt interpretes alius aliam verba coniungendi rationem probabilem proponere frustra conati sunt. Contra verborum positum Rupertius sic verba iungenda dicit: *quae viro sitiente miscet rubetam porrectura ei molle Calenum;* similiter Heinrichius *viro sitiente* vult esse ablativos absolutos, ut desit, quod participio *porrectura* adiungatur. Weidner in priore editione neutra interpretatione probata adnotavit haec: invitum se, sed coactum verborum positu dicere *viro* esse dativum et ad vocabulum, quod est *sitiente,* supplendum *eo.* Apparet Weidnerum iam tum offensum esse lectione vulgata, sed quomodo emendandus esset versus haesisse. In altera editione Beerium secutus scripsit *sitiente rubeta.* Cum his facere, praesertim cum optimi codicis scriptura videatur incerta esse, non dubitamus, quamquam videtur difficultas quaedam inesse in coniungendis vocabulis *sitiente rubeta.* Nam vereor, ne sint qui dubitent, an vocabulum *sitiens* non possit active poni, ut sit idem ac *sitim faciens* et vernacule tradatur *mit glühendem, verzehrendem Gifte.* Sed saepissime poetae eodem adiectivo et active et passive utuntur[3]) et ipso vocabulo, quod est *sitiens,* sine dubio usi sunt. Weidner Ovidii locum adfert, art. amat. II. 231

nec grave te tempus sitiensque Canicula tardet.

Nobis quidem, ut huic lectioni fidem addamus, liceat exemplum adferre, quod cum huic Iuvenalis loco simillimum sit, etiam maiorem vim auctoritatemque videtur habere. Calpurnius Siculus ille, qui Neronis aetate, i. e. paullo ante ipsum Iuvenalem, Vergilium imitatus septem carmina bucolica scripsit, in quinta ecloga hunc exhibet versum (49):

---

[1]) cfr. Spicil. Juven. 1885 et Buecheleri recognitionem 1886.

[2]) „possumus quidem miscere vinum, miscere venenum, sed si mulier marito vinum porrigit interea venenum miscet, non vino immiscet, nihil inest periculi viro.“

[3]) Cfr. Iahnium ad Pers. V. 55 *pallentis grana cumini:* pallorem bibentibus gignit, quare pallens dicitur; et ad Pers. prol. 4 *pallidamque Pirenen:* pallidam videtur dixisse Pirenen, quia poetae pallidi esse solent, certe perhibentur. Sicut mors pallida dicitur, quia ei potissimum convenit, quod in mortuis conspicitur, ita facilius etiam nympham pallidam vocavit, quae poetis eum furorem inspirat, unde iste pallor poeticus oritur. — Apud ipsum Iuvenalem haec inveni:

anxius IV. 149 anxia praecipiti venisset epistula pinna.
caecus X. 351 caeca magnaque cupidine ducti.
garrulus XII. 82 garrula securi narrare pericula nautae.
gelidus VII. 206. nil praeter gelidas ausae conferre cicutas.
mollis VI. 300. divitiae molles.
vigil XIII. 229. vigili cum febre.

At cum longa dies (i. e. aestas) *sitientes adferat aestus.*

Nam hanc lectionem *sitientes* quin probemus, facere non possumus, quamquam qui nuper Poetas Latinos Minores edidit Aemilius Baehrens scribere maluit *sitientibus.* Optimi enim codices, quos significavit Baehrens siglo G, et minorum codicum pars praebent *sitientes, sitientibus* est in parte codicum minorum. Accedit, quod recepta lectione *sitientibus* mira evadit sententia: quasi vero aestas non adferat aestus nisi sitientibus vel una aestas sitientibus aestus adferat. Haud dubie igitur scribendum est *sitientes aestus* i. e. aestus sitim facientes. Qui locus cum simillimus sit Iuvenaliani cumque utroque loco optimorum codicum consensus postulet, ut *sitiens* idem sit ac *sitim faciens,* alter alterum defendit a correctorum audacia, ut optimo iure nobis videamur scribere:

occurrit matrona potens, quae molle Calenum
porrectura viro miscet sitiente rubeta.

I. 142—146.

Satirae I versus 142—146 codicis Pithoeani auctoritatem secutus Buecheler cum ceteris ita scriptos edidit:

poena tamen praesens, cum tu deponis amictus
turgidus et crudum pavonem in balnea portas.
hinc subitae mortes atque intestata senectus
et nova nec tristis per cunctas fabula cenas:
ducitur iratis plaudendum funus amicis.

In his verba, quae sunt *intestata senectus,* ferri non posse consentiunt Madvigius et Weidner. Et mire dicitur „hinc" i. e. e luxuria et mollitie intestatam esse senectutem. Quid? num impedit luxuria et mollities, quominus testamentum patronus faciat? et si quis usque ad senectutem testatus non est, quid impedit, ne senex faciat quod iuvenis neglexit? Nec minus mire dicitur hominem luxuriosum et mollem pervenire ad senectutem: ipse poeta, cum addit post verba *subitae mortes* ea, quae sunt *intestata senectus,* imminuit poenae acerbitatem, qua eorum, qui legunt, animos vult commoveri.

Madvigius coniecit *infestata senectus.* His verbis, si referuntur ad eundem, de quo sunt verba *subitae mortes*, i. e. ad patronum, cum idem sint ac *senectus debilis atque fragilis* et excipiant verba, quae sunt *subitae mortes,* multo etiam magis quam lectione vulgata imminuitur poenae acerbitas. Sin referuntur ad senectutem clientium, idem sunt ac *senectus curarum plena.* At cum sint verba *subitae mortes* sine dubio de patrono, haec quae subsequuntur fieri non potest, ut referantur ad clientes. Omnino autem non agi de clientibus infra accuratius exponendum est.

Weidner Madvigii coniectura locum non sanatum ratus coniecit fortasse scribendum esse *intempesta,* qua de coniectura idem est iudicandum, quod de Madvigiana. Recte autem iudicavit Weidner in editione altera his verbis: *es ist nicht einzusehen, warum der Schwelger überhaupt zur senectus gelangen soll. Oder soll intestata besagen, dass er zur eigentlichen senectus überhaupt nicht gelangt? Das kann in den Worten nicht gefunden werden. Auch Madvigs infestata senectus hilft der Schwierigkeit nicht ab.*

Defendere codicis lectionem conatus Hofius [1]) versus 127 usque ad 146 ad unam pertinere miseriam clientium sibi persuasit. Censet enim verba, quae sunt *intestata senectus,* esse de consumpta re familiari, ut dicatur patronus non habuisse, quod legaret clientibus. At post verba, quae sunt *subitae mortes*, quis illa accipiet de consumpta re familiari? ipsorum verborum conlocatione coactus nemo non accipiet de facultate testandi subita morte adempta. De clientium autem miseria h. l. omnino non esse dicendum e totius satirae argumento videtur apparere. Versibus enim 19—146 poeta exponit, qua re capto scribendi consilio ad satiras potius quam ad alia carminum genera animum converterit: tot enim et tanta in urbe vigere scelera ac vitia, ut difficile sit satiram non scribere. Notatis igitur compluribus vitiis ac sceleribus inde a versu 127

[1]) Progr. Wesel 1891.

de patrono agitur divite illo quidem et sumptuoso, sed sordido et clientium neglegenti, qui in convivium adhibeat nullum, sed sibi soli cenam magnifice splendideque comparare iubeat. De clientibus igitur non est, quod poeta verba faciat; nam quid ad rem clientium misera conditio, cum totius satirae argumentum positum sit in enumerandis aequalium vitiis, quibus poeta se ad satiras scribendas ductum esse profiteatur? Praeterea huius loci simillima est quinta satira, ut quae in prima paucis poeta absolvit, ea videatur illo carmine plenius exposuisse. In quinta autem primas partes agere patronum, quis non videt? Virronis in clientes saevientis iniquitas notatur, clientium stultitia et humilitas breviter attingitur. Itaque cum utroque loco idem voluisse poetam pateat, sequitur hac primae satirae parte ipsa quoque perstringi vitia patroni, foedam luxuriae et sordium societatem. Accedit, quod a versu 135 de uno patrono agitur. Quae cum ita sint, versus 142—146 item esse de patrono videtur certum esse, neque his versibus agi de sordidissimi hominis poena negabit, qui legerit versum 142 *poena tamen praesens* et 144 *hinc subitae mortes.* Subita enim morte oppressus, quia e nimia ciborum copia indigestione contracta tamen est lavatus, intestato patronus mortuus est; clientes autem, quibus nec vivus bene fecit, nec quicquam legavit, irati sunt, ut vultu tristi illi quidem ad funus veniant, sed malint domini ac regis morti plaudere. Et eiusmodi mortis et funeris fama nova est neque tristis fabula, ubicunque de novis rebus sermones feruntur. Poena igitur in eo cernitur, quod is, qui vivus suis divitiis ipse frui quam clientes et amicos pascere maluit, mortuus omnibus odio est aut ludibrio.

Ex his, quae diximus, cum satis appareat nec servari posse codicum lectionem, nec sanatum esse locum coniecturis virorum doctorum, iam quaerendum esse videtur, quomodo locus possit emendari. Madvigius autem et Weidner immutandum esse censuerunt vocabulum, quod est *intestata.* At hoc ipso vocabulo equidem opinor supersederi non posse propter ea, quae sequuntur. Nam deleto vocabulo *intestata,* quare irati sint amici, in incerto est. Quid autem sit causae, si quaerimus, cur nemo patroni mortem lugeat, sed irati sint amici, ut cachinnatione quam lacrimis mortuum prosequi malint: non tristis est fabula de morte eius, quia clientibus amicisque, quos vivus neglexit, ne moriturus quidem quicquam legavit. Patet vocabulum *intestata* necessario esse servandum, immutandum vocabulum senectutis a sententia versuum alienissimum. Sed quaerenti mihi, quae notio ipso sententiarum nexu efflagitetur, videtur non posse dubitari, quin inter subitae mortis et funeris mentionem desideretur vocabulum quoddam his rebus magis aptum. Et desideratur hoc loco, quippe quo de eo agatur, qui subito e vita decesserit, vocabulum, quo significetur is ipse, qui repentina morte oppressus intestato mortuus est. Quae cum ita sint, levi literarum immutatione facta scribendum esse coniicio *intestata sepulcra.* i. e. homo ab in-intestato mortuus.

De hoc vocabuli usu vide sis Catulli 96, 1 squ.

si quicquam mutis gratum acceptumve sepulcris
accidere a nostro, Calve, dolore potest

et Ovidii fast. II, 33

aut quia placatis sunt tempora pura sepulcris,
tunc cum ferales praeteriere dies.

II. 43 squ.

quod si vexantur leges ac iura, citari
ante omnes debet Scantinia.

Hanc lectionem vulgatam — codex enim Pithoeanus pro *ac iura* praebet *acturae* — primus loco deiecit Otto Iahnius nulla re commotus, ut e coniectura scribendum esse *at iure citari* diceret, nisi lemmate scholii et eo perverse enotato *ac iure* pro eo, quod scriptum est *acture.* Secuti sunt Hermanus, Ribbeckius, Weidner (in priore editione); restitit magnis argumentis Vahlenius (ind. lect. aest. Berol. 1884 p. 21), itemque in editione altera ad vulgatam rediit Buecheler. Weidneri coniecturum in textum editionis alterius receptam, quae est *vexantur leges clamore,*

optimo iure et subtiliter reiecit Hofmannus (Progr. Wilh. Gymn. München 1889/90 p. 5). Contra Rudolfus Beer in Spic. Iuv. p. 61 squ. Vahlenium, qui vulgatam defendit, recte iudicasse negat locum nondum sanatum ratus.

At e scriptura codicis P, quae est *acturae,* restituere *ac iura* palaeographicis legibus non vetamur. Nam cum continua scriptura codex archetypus fuerit exaratus, haud raro in codice P male coniunctae sunt vel distinctae literae, cuius generis exempla sunt haec: I. 22 *me viatus cum* (recte: *Mevia Tuscum*), VI. 306 *inunget* (r.: *i nunc et*), alia. Praeterea saepius confunduntur in P literae t et i, cuius confusionis exempla adferre liceat haec: IV. 95. *iam* (r. *tam*) VII. 180. *tu mentia* (addita litera i pro *iumenta*), XII. 62 *tacuit* (r. *iacuit*). Sequitur, ut facillime restituamus e Pithoeani scriptura lectionem illam vulgatam, quae est *ac iura citari.*

Sed contra Vahlenium, qui defendit vulgatam, Beerius p. 61 dicit haec: *Vahlen exemplo allato X 293 ss. (sed vetat optari faciem Lucretia, qualem ipsa habuit; cuperet Rutilae Verginia gibbum accipere atque suam Rutilae dare) hoc quem tractamus loco bene referri iura ad ante omnes et Scantinia non probabilius reddidit.* At quod *leges ac iura* non bene referri dicit ad *Scantinia,* qua teneatur difficultate non me intellegere confiteor. Nam omnino non referenda sunt verba *leges ac iura* ad legem Scantiniam, sed ad Iuliam illam de adulteriis, quae supra commemorata est, qua lege iura concedantur maritis in feminas adulteras et moechos. Confer, si placet, sat. X. 311 ss. *fiet adulter publicus, et poenas metuit quascumque mariti irati debet.* Optime igitur citata lege Iulia dicit Laronia vexatas esse leges ac iura et legi Iuliae opponit Scantiniam. Accedit, quod vocabula *leges ac iura* notissimo synonymorum usu copulata atque cumulata sunt, ut maiorem vim habeat legum notio. Neque in ipsis Juvenalis satiris desunt huius generis exempla: vide sis VII. 232 *auctores noverit omnes tamquam ungues digitosque suos,* VIII. 146 *praeter maiorem cineres atque ossa;* in hac ipsa satira 72 *leges ac iura ferentem.* Iuvenalis enim, ut ait Iahnius, e rhetorica disciplina loquax. Recte igitur Hofmannus p. 5: *ich kann Weidner nicht beistimmen, wenn er behauptet, dass der Zusatz ac iura überflüssig, lästig und störend sei; er ist nach der redseligen Manier des Dichters nur eine Vervollständigung von leges.* Quae cum ita sint, inter leges ac iura quin Scantinia numeranda sit, quis est qui dubitet?

Deinde reformidat Beerius vocabula, quae sunt *ante omnes,* referre ad *leges ac iura.* Sed etiamsi locum a Vahlenio allatum, ubi P exhibet *ad quae suum,* ω *atque suam*, Bücheler scripsit *atque suum*, Weidner non sine laude aliorum *osque suum,* propter hanc scripturae discrepantiam auctoritate carere statuendum est, tamen similia e satiris adferri possunt: vide sis sat. VI. versus 187 ss.

omnia graece,
cum sit turpe magis nostris nescire latine; 188
hoc sermone pavent, hoc iram gaudia curas,
hoc cuncta effundunt animi secreta.

e quibus versum 188 spurium esse antea critici probare conati dixerunt interposito vocabulo *latine* impediri, quominus verba *hoc sermone* quo referenda sint recte referantur, ad vocabulum *graece* in v. 187 scriptum. Qui nuper satiras recensuerunt versum illum servarunt et optimo iure servarunt, cum sit is, in quem omnes hi versus facti sunt, sermo nullus nisi graecus. Rectissime Weidner: *da omnia graece den Hauptgedanken enthält, so bezieht sich darauf hoc sermone sehr leicht; denn mit hoc wird eben die Vorstellung festgehalten, die Kopf und Herz des Sprechenden bewegt.* Simillimi sunt hi, de quibus nunc agimus, versus: de legibus cum totus sit locus et vocabulum *iura* amplificationis causa additum sit, bene dicitur *ante omnes.* Ad hoc excipit vocabula *ante omnes* vocabulum *Scantinia:* ita recte eiusdem vocabuli genus grammaticum sequuntur verba *ante omnes.*

Ex his, quae disputavimus, effici videtur cum Vahlenio scribendum esse

quod si vexantur leges ac iura, citari
ante omnes debet Scantinia.

III. 322.

ergo vale nostri memor, et quotiens te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino,
me quoque ad Helvinam Cererem vestramque Dianam
converte a Cumis. saturarum ego, ni pudet illas,
auditor gelidos veniam caligatus in agros.

In versu 322 editores prope omnes reiecta codicis optimi lectione, quae est *auditor,* cum altera eiusdem codicis manu et libris interpolatis scribere maluerunt *adiutor.* Et quid sit, cur hanc lectionem praetulerint, ex iis maxime elucet, quae de hoc loco disputaverunt Ribbeckius et Weidner[2]. Ille enim in praefatione editionis (1859): *adiutor tamen ille saturarum caligatus quid sibi vellet, minime intellexerunt interpretes, ridiculi enim profecto sunt, qui bene calceatum incitato cursu ad carmina adiuvanda se properaturum spondere Umbricium putaverint . . . nec omnino quisquam caligatus dicitur nisi miles inferiorum equestri militia ordinum: quo egregie quadrat, quod etiam „adiutorem" velut „tribuni" (3462 Or.) militare munus esse docent inscriptiones. Atqui militem et ipsum fuisse Iuvenalem testatur titulus apud Mommsenum (inscr. Neap. 4312).* Weidner scripsit haec: *caligatus . . deutet zugleich an, dass der Dichter eine höhere militärische Würde, das Legionstribunat besitzt.* Fingunt igitur interpretes Umbricium dicentem se quasi adiutorem tribuno, caligatum equiti ad scribendas satiras officium praestaturum, ut in his versibus inesse videatur testimonium, quo poetam tribunum fuisse probetur. Sed nemo fere vereor ne ita facile nisi ab editoribus magnis et reconditis adnotationibus edoctus in verbis illis talia latere perspiciat: haec si poeta significare voluisset, minus obscure dicendum erat. Sed remotis his omnibus, nonne inanis ac pusilli videtur animi esse superioris ordinis mentionem nulla necessitate coactum praeter rem et parum apte assumere? Quae cum ita sint, fieri non potest, quin cum Beerio faciamus, qui quid adiutoris nomen satis longe e re militari repetitum h. l. sibi velit, plane se fugere confitetur (p. 66).

Accedit, quod vel omissa re militari lectio vulgata minus apta videtur. Nam rogatus si quis poetam adiuvare instituit, non est vituperandus: invito poetae operam suam obtrudere et molesti hominis est et arrogantis. Quod vero maius est, recte quis quaesiverit, quo tandem pacto Umbricius *vacuis* Cumis (vers. 2) vitam agens satirarum argumenta subiicere possit poetae in ipsa Roma quasi e fonte haurienti? Sequitur ineptam esse lectionem *adiutor* nec posse recipi.

Contra egregie quadrat in sententiam loci lectio *auditor.* Nam non adiutorem optant poetae, sed auditorem, id quod cum ex ipsa rei natura intellegitur, siquidem omnis scriptor libros suos legi cupit, tum e Iuvenalis satira prima apparet, ubi scriptum est: *Semper ego auditor tantum?* Umbricius autem, qui uberrimam rerum materiam atque copiam Iuvenali suo subiecit, quid poeta ex ea fecerit, audire avet, non plura ad eum deferre in animo habet: nam quidquid e vita urbana ei oblatum est acerbi, id in aures amici exoneravit, Cumis „Venusina digna lucerna" se videre ne ipse quidem neque cupit neque sperat. Caligatum autem se dicit, ut rusticum se et simplicem hominem esse sinceri iudicii profiteatur, qui nesciat pleno ore laudare mala carmina. Caligae enim, id quod apparet ex edicto Diocletiano 9, 5. 6. 10, ubi enumerantur caligae mulionicae sive rusticae, militares, muliebres, non sunt solorum militum, sunt omnium hominum inferioris ordinis; et quod dicunt vocabulum caligati abisse in proverbium, id nihil valet. Et quia Umbricius longe se discedere ab urbanae et adulatoriae auditorum coronae consuetudine intellegit, addit verba *ni pudet illas* scl. tam rustici auditoris, qui mentiri nesciat, librum si malus est nequeat laudare et poscere (III. 41 squ.)

VI. 55 squ.

In satira VI inde a versu 47 omnes mulieres in urbe viventes castitatem exuisse poeta queritur. Jam pergit:

Magna tamen fama est cuiusdam rure paterno
viventis. vivat Gabiis, ut vixit in agro,
vivat Fidenis, et agello cedo paterno.
quis tamen adfirmat nil actum in montibus aut in
speluncis? adeo senuerunt Juppiter et Mars?

Ad haec scholiasta: *concedo et in agro castam fuisse. alii dicunt, perdo agrum ego paternum, si vivat illa recte.* Illam explicationem veram esse censuerunt Rupertius, Heinrichius, Teuffelius, Haeckermannus. Scripsit enim Heinrichius ita:

Vivat Gabiis, ut vixit in agro;
Vivat Fidenis. Et agello, cedo, paterno:
Quis tamen affirmat cet.

Similiter ceteri ediderunt et vertit Teuffelius:

dass nur sie in Gabii auch und Fidenae
gleich sich beträgt! Und sei's meinthalb auf dem Gütchen des Vaters:
Doch wer bürgt mir dafür, dass nichts auf den Bergen u. s. w.

Arcessunt igitur ad verba *et agello cedo paterno* e praecedentibus verbis, quae sunt *vivat* et *vixit,* mutata forma verbum *sic eam vixisse.* At quae in montibus aut speluncis pudicitiam prostituit, eamne putabimus in agello paterno caste vivere posse? Nam non id quaeritur, num honeste se gesserit puella quaedam in agello paterno, sed num casta sit quaeritur.

Aliter incidendo Kiaerius (De sermone D. Iunii Iuvenalis p. 125) locum interpretatus est ita:

Vivat Gabiis, ut vixit in agro,
vivat Fidenis. Et agello cedo paterno,
quis tamen affirmat nil actum in montibus ct.

et addit haec: *vocibus autem, quae sunt agro paterno, opponuntur montes et speluncae, quamobrem ad verba „et agello cedo paterno" verbum (eam sic vixisse) ex praecedentibus verbis mutata forma vix arcessendum est, sed voces „nil actum" ex sententia sequenti revocandae sunt: et agello paterno nil actum cedo; quis tamen affirmat in montibus aut in speluncis nil actum? et post „paterno" non puncto sed commate incidi debet.* Sed quod ruri dicit opponi montes et speluncas, cum Kiaerio facere non possumus: nam summa totius loci in eo versatur, quod ruri opponitur urbs; voces autem *in montibus aut in speluncis* sunt circumlocutio quae vocatur vocabuli *clam.* In agris, inquit poeta, ubi vicinus vicini mores observat, in oculis hominum castas se esse simulant, clam voluptatibus fruuntur Venereis. Praeterea quaeritur, quid sibi velint verba *vivat Gabiis, ut vixit in agro, vivat Fidenis.* Patet his verbis Kiaerium postulare, ut castitatem puella re probet. At num aliquid praestare videtur quae in parvo oppido, ubi minus mores quam in urbe corrupti sunt, caste vivat? Si verba *vivat Gabiis, ut vixit in agro, vivat Fidenis* puncto posito sine verbis *et agello cedo paterno* enuntiati loco habentur, non expectantur nomina oppidorum illorum, sed unum Romae nomen. Praeterea animadvertendum est verbo cedendi, quod in satiris quindecies invenitur, nusquam poetam ita usum esse, ut sit pro verbo concedendi, neque ceteri poetae, quod sciam, cedendi verbum pro concedendi usurparunt. In Horatii epistulis (II. 1. 66 s. *si quaedam nimis antique, si pleraque dure Dicere credit eos, ignave multa fatetur: Et sapit, et mecum facit, et Iove iudicat aequo*) Bentleius pro *credit,* quod est in libris, scribere maluit *cedit* allatis compluribus iuris consultorum locis. Sed locis illis verbum cedendi idem valet ac verbum permittendi, non est idem atque in disputando dare adversario aliquid ex iis, quae contra dici posse ipse censet. Et manserunt editores in codicum lectione, Bentlei coniecturam secuti non sunt.

Quae cum ita sint, haec scholiastae explicatio videtur repudianda esse, praesertim cum adeo non quicquam concedere poeta habeat in animo, ut hoc loco ita ut tota satira virtutibus plane carere feminas dicat.

Alteram autem, quae est *perdo agrum ego paternum, si vivat illa recte,* suam fecit primus Weber et eum secuti sunt Iahnius Hermannus Weidner. Scripsit igitur ita:

Magna tamen fama est cuiusdam rure paterno
viventis: vivat Gabiis, ut vixit in agro,
vivat Fidenis, et agello cedo paterno.
Quis tamen cet.

Addidit autem haec: *Etenim verba „et agello cedo paterno" habent sensum, ac nos dicimus: und ich setze mein väterliches Gütchen, mein Erbteil daran. Cedere praeter forensem usum, ut foro cedere, cedere bonis, illa quoque significatione invenitur. Suet Ner. c. 35: „Senecam praeceptorem ad necem compulit: quamvis saepe commeatum petenti bonisque cedenti persancte iurasset suspectum se frustra periturumque se potius quam nociturum ei." Sententia igitur haec est: Fortasse mulieres rure adhuc pudice vivunt; sed vivant Gabiis et Fidenis quamvis parvis et desertis, et si castitatem ibi, ut illic, servarint, tradam paterna bona. Ad extremum id, quod antea concesserat, correxit: praeterea quis affirmat, illam in agro nihil fecisse impudici?* In eandem sententiam vocabulum cedendi accipiendum est Cic. off. II. 23. 82 *ut pecuniam accipere mallent, possessionibus cederent.* De re grammatica autem nihil est, quod offendamur: in verbis illis *vivat Gabiis, vivat Fidenis* coniunctivus modus est pro imperativo illo protasis condicionalis locum tenente; hunc sequitur apodosis particula *et* adnexa, quam optimi scriptores latini solent per asyndeton quod dicitur vel particulis *iam, tum* adiungere ita, ut tempore futuro utantur. Particula *et* autem et tempore praesenti Cicero ipse quoque utitur De re publ. I. 38. 60 *adde avaritiam, adde imperii, adde gloriae cupiditatem, adde libidines: et illud vides, si in animis hominum regale imperium sit, unius fore dominatum, consilii scilicet.* Coniunctivo utitur Cicero Tuscul. I. 22. 51 *Haec reputent isti, qui . . : videbunt.* Apud ipsum Iuv. XVI 29 ss. scriptum est: *„da testem" iudex eum dixerit, audeat ille nescio quis pugnos qui vidit, dicere „vidi", et credam dignum barba dignumque capillis maiorum.*

Nec vero quid offendat in hac explicatione tacebo: mirum est, quod subsequuntur mentionem ruris paterni et agri, ubi versatur puella, vocabula *agello paterno* de villa poetae ipsius accipienda. Contra si vocabula *agello paterno* de puellae sede essent accipienda, non intellegeremus, cur forma illa quae dicitur diminutiva poeta usus sit; optime autem ipse poeta agro a patre hereditate accepto dicit nihil sibi esse carius. Videtur igitur scripsisse poeta non sine quadam orationis neglegentia:

Vivat Gabiis, ut vixit in agro,
vivat Fidenis, et agello cedo paterno.
Quis tamen adfirmat nil actum in montibus aut in speluncis?

VI. 69. s.

tristes
personam thyrsumque tenent et subligar Acci.

Haec vulgata lectio est. Poeta autem: Summa, inquit, stultitia est Ursidii, qui uxorem castam et pudicam quaerit his temporibus, quibus pudicam, cum omnes quae in urbe vivunt mulieres castitatem exuerint, nemo reperire potest. Discunt lasciviam in ludis scaenicis ab histrionibus et pantomimis idque eo citius, quo maiore hi arte res obscaenas saltando et gesticulando in scaena exprimunt quoque facilius discuntur quae oculis subiiciuntur. Ledam eiusque amores cum saltatione exprimit Bathyllus, omnium saltatorum famosissimus, etiam castissimae virgines discunt impudicitiam libidinesque venereas concipiunt. Tanta autem feminarum est et matronarum et virginum impudicitia et dementia, ut in histrionibus citharoedis gladiatoribus

quaerant quod diligant. Itaque quotiens cluso theatro abierunt histriones, desiderium eius, quem amant, et tristitiam mitigare student tenentes scaenica eius ornamenta, personam thyrsum subligar. Aelia pauper diligit Urbicum exodiarium (71), sunt quae Chrysogonum citharoedum cantare vetent (73), Hispulla tragoedo gaudet (74). Quae cum ita sint, uxorem ducere qui animum induxerit paratus esto accipere uxorem, e qua non ipse pater fiat, sed Echion citharoedus (76) vel Glaphyrus tibicen (77) vel Ambrosius choraules (77) vel Euryalus gladiator (81).

Patet, cum in ceteris partibus singulis, versibus 63. 71. 73. 74. 77. 81, nomina histrionum aliorumque artificum posita sint, — etiam ei, quem comitata est Eppia (82), infra nomen datur Sergius (105 et 112) —, in septuagesimo quoque versu nomen quoddam scriptum fuisse. Quam ob rem plerique cum codicibus interpolatis et grammaticis quibusdam ediderunt quod supra scriptum est „Acci", quo nomine histrio quidam significaretur. Sed P exhibet in rasura manu altera scriptum *acne,* tum *actii,* tum *acti* et in lemmate scholii est *acne* factum ex rasura. Codicis P vestigia secutus Ribbeckius coniecit *Hagni.*

De scribendis in Iuvenalis satiris nominibus propriis quae dicuntur saepe difficillima est quaestio, praesertim si apud unum Iuvenalem idque uno loco nomina inveniuntur, velut I. 2 in P scriptum est *Cordi,* in p ω *codri,* quamobrem conlatis versibus III. 203 et 208 Haeckermannus scripsit *Codri.* Optimo autem iure ceteri, cum neque quis sit Cordus, neque quis Codrus, satis constet, Pithoeani auctoritatem secuti servarunt lectionem *Cordi.* Similis locus est VII. 132, ubi codices habent *iuvenes longo premit assere Medos*, sed Lipsius (Epist. Quaest. IV. 25) conlatis versibus IX. 142 squ. scribere maluit *Moesos.* Recte scribendum esse *Maedos* primus docuit G. E. Weberus: sunt enim Maedi Thraciae populus, id quod iam vidit Rupertius, sed neglexit suspicatus scribendum esse *Moesos.* Neque minus Heinrichius in commentario censuit hanc scripturam esse praeferendam. Item difficillimum diiudicatu est, quomodo scribendum sit XIV. 86 et 92, qua de re vide sis Bücheleri apparatum criticum in utraque editione.

Sed hoc loco nominis proprii formam neque optimus codex praebet neque manus eius emendatrix; codicum vero deteriorum lectio fulcitur grammaticorum, quos supra commemoravimus, testimonio. Quae cum ita sint, aut recipienda est haec codicum minorum lectio, aut e codicis P scriptura videtur coniectura dispiciendum: utrum verum sit, non facile quis dixerit. Certe quod coniecit Ribbeckius „Hagni" parum videtur veri simile esse. Nam hoc, de quo agitur, loco non commenticium nomen, sed, cum in ceteris horum versuum nominibus haud pauca sint, quorum aut apud ipsum Iuvenalem aut apud alios fiat mentio, hominis cuiusdam, qui tum fuit, nomen videtur scriptum fuisse. Atque de scriptura, quae est *Acci,* ne idem dicendum sit, vereor. Nam cum Acci tragoedi nomen neque in Iuvenalis satiris neque apud alios inveniatur, facere non possumus, quin hoc nomen librariorum coniectura, qui veram nominis formam literis minus claris perscriptam investigare ac persequi non possent, perperam in textu positum esse censeamus. Bathyllus autem, qui in versu 63 commemoratur, et Urbicus, cuius nomen est in versu 71, feminarum partes in scaena agere solitos fuisse ex ipsis versibus apparet; quare una cum his poetam in versu quoque 70 histrionem induxisse feminarum partes agentem versimile est. Eiusmodi hominem in versu 70 a poeta nominatum fuisse quo magis credamus, movet thyrsi mentio, hastae illius hedera cinctae, qua utebantur histriones Baccharum partes agentes. Ipsius autem Iuvenalis in satiris bis est nomen tragoedi feminarum partes cum laude agentis, Haemi, qui III. 99 *mollis* dicitur et VI 198 laudatur, quod omnibus *mollius* et dulcius dicere didicerit. Patet eiusmodi hominem mulieribus fuisse in deliciis. Cuius nomen cum in codicibus saepius scriptum inveniatur *Aemus,* pro forma, quae est *Aemi,* male picta facile a librariis scribi potuisse *Acne* manifestum est, e quibus literis *Acci* interpolatorum opera videtur enatum esse.

Quae cum ita sint, haud scio an scripserit Iuvenalis in versu septuagesimo
personam thyrsumque tenent et subligar Haemi.

VI. 415.

nec tamen id vitium magis intolerabile, quam quae
vicinos humiles rapere et concidere loris
exorata solet. nam si latratibus alti
rumpuntur somni, ‚fustes huc ocius' inquit
‚adferte' atque illis dominum iubet ante feriri,
deinde canem.

De versu 415, ubi P praebet *exortata,* ω *exorata,* adhuc disceptatur, utrum scribendum sit *exorata,* an *exornata,* an *exhortata.* Hoc, quod coniecit Buecheler (in ed. tert.) et, recte si interpretamur, idem esse vult ac *solet impellere servos, ut vicinos humiles rapiant et loris concidant,* nullius momenti est ad sententiam apte efferendam, cum per se verba illa rapiendi et concidendi idem valeant ac *iubet vicinos rapi et concidi.* Lectio autem, quae est *exornata,* quam primus proposuit Scriverius, recepit Weidner, omni caret probabilitate: nam cum quae sequuntur vocabula *nam si* gradationem subesse doceant, opus est in priore membro vocabulo, quod respondeat illis *si latratibus alti rumpuntur somni,* quae idem valent ac *irata.* Dubium igitur esse videtur, an *exornata* in hanc sententiam non quadret. Contra vocabulum *exorata* plane satisfacit versuum sententiae. Nam cum toto loco poeta id studeat, ut feminae iracundiam saevitiamque fortissima descriptione exprimat, bene eam ne vicinorum quidem precibus mitigatam negat loris abstinere, ira inflammatam suique non compotem fustibus uti i. e. verberando miseros illos paene necare profitetur.

Recte igitur Bücheler in editione altera videtur e lectione codicis P restituisse vulgatam: femina quaedam saeva et imperiosa animi causa vicinos humiles temere vexare solet; interdum precibus eorum in clementiam versa loris eos concidere satis habet; sed non semper exoratur: nam si est, quod irascatur, si forte somnus ei interruptus est latratu canum, ira inflammata fustibus caedi iubet et canem et dominum. Sic scholiasta quoque locum interpretatus est.

Quae in codice P est lectio *exortata* merum est librariorum mendum, qualia saepius inveniuntur, velut in ipsa satira VI 526 *ereptet* pro *erepet:* scripsit enim librarius oculis deceptus *exorta* et correxit literula *t* non expuncta.

VI. 589 squ.

quae nudis longum ostendit cervicibus aurum,
consulit ante falas delphinorumque columnas,
an saga vendenti nubat caupone relicto.

Quod in versu 589 scriptum est *aurum* Bücheler dicit idem esse ac *aureum capillum,* et cum eo facit Weidner. Sed quid spectans aureum vel flavum capillum poeta plebeiae mulierculae dederit, haud facile quis dixerit. Deinde qui legebant vereor ne non facile *aurum* esse *aureum capillum* intellexerint, nisi forte ipse poeta quid vellet adnotatione exprompserat. Tum vero neque apud Büchelerum neque apud Weidnerum exempla inveniuntur, quibus iste vocabuli usus probetur. Speciosa igitur magis quam vera videtur haec interpretatio.

Vulgo *aurum* interpretes dicebant esse *monile aureum* sive *torquem aureum,* quam ad interpretationem qui legunt sine dubio facillime labuntur. *At offendit multos,* ut ait Madvigius op. II. 197, *in muliere de vulgo, quae a poeta divitibus contraria ponitur, longi auri mentio alienissima.* Itaque Salmasius et Iuvencius *nudis* mutaverunt in *nullis,* Rupertius legere maluit *nullum longis:* quibus docte et subtiliter l. l. adversatus est Madvigius. Ipse autem comprobatis eis, quibus illi commoti mutaverant, causis: *„non in his verbis,* inquit, *mendum latet, sed in ipso auri nomine, quod pro aptiore, sed minus noto vocabulo duabus literis mutatis substitutum esse certum mihi videtur. Scripsit enim sine dubio Iuvenalis: „quae nudis longum ostendit cervicibus armum".* *Robustam de plebe mulierem describit et inornatam, nudis cervicibus longum humerum*

ostendentem; eum rem augens appellat vocabulo a bestiis traducto, quemadmodum Vergilius Aen. XI. 644 in homine corporis ingentis.

Omittamus miram verborum complexionem, quae est *longum armum vel humerum,* et minus aptam, ut in muliere, armi appellationem: utrum coniectura opus sit necne quaeritur. Neque idoneas mutandi causas mihi quidem videtur Madvigius attulisse. Nam quod dicit hoc loco mulierem de vulgo divitibus contrariam poni: divitibus contraria ponitur mediocris illa in versibus 582 squ., quae frontem manumque praebet vati crebrum popysma roganti. Hoc loco poeta plebeiam mulierem vitae liberioris describit, ut omnes mulieres, pauperes divites, matronas meretrices, astrologiae studere exemplis doceat. Sed dicit Madvigius satis poetam significavisse feminam nuptam de tenui plebe, cauponis uxorem, sed, ut tum fuerint mores, de divortio cogitantem. Et ut agatur de cauponis uxore, id quod interpretes effici censent ex eis, quae sunt in versu 591 *nubat caupone relicto,* mulier honesta certe hoc loco non describitur. Nam *quae nudis longum ostendit cervicibus aurum* mea quidem sententia est tabernaria, quales in cauponis solebant saltare et canere ,corpus prostituere, vel copa, quales ornatae pro taberna stantes blandis verbis, oculis venereis, lasciva saltatione praetereuntes invitabant atque allectabant. Quamobrem Suetonius Ner. 27: *matronae copas imitantes.* Optime mores atque naturam talis mulieris poeta quidam expressit carmine illo, quod *Copa* inscriptum vulgo tribuitur Vergilio. Ipse Iuvenalis VIII. 159 squ. *obvius adsiduo Syrophoenix unctus amomo currit, Idumaeae Syrophoenix incola portae hospitis adfectu dominum regemque salutat, et cum venali Cyane succincta lagona.*' Ita ut intellegam hunc locum, imprimis movent verba *nudis cervicibus* (589): liberioris enim vitae mulieres toga uti et humeros lacertosque denudare solebant, matronae corporis membra operiebant stola. Confer si placet Iuv. II. 68 squ. *est moecha Fabulla, damnetur, si vis; etiam Carfinia talem non sumet damnata togam* et Mart. II. 39 *coccina famosae donas et ianthina moechae: vis dare quae meruit munera, mitte togam.* Auro autem ne meretrices quidam caruisse docet sextae satirae versus 122 *nuda papillis prostitit auratis* i. e. tamquam verum scortum papillis aureo monili ornatis. Adde, quod saepe apud Iuvenalem materia sola pro re ex materia facta ponitur: *aurum* V. 39 et X. 27 est *poculum aureum,* V. 164 *bulla,* I. 28 et VII. 89 *anulus,* VI. 205 et VII. 243 *moneta,* VI. 482 *vestis acu picta.*

Ex his, quae dixi, satis mihi videtur apparere servandam esse codicum lectionem *aurum* et vocabulum auri accipiendum pro *aureo monili.*

VI. 605 squ.

Stat Fortuna improba noctu
adridens nudis infantibus, hos fovet omnes
involvitque sinu, domibus tunc porrigit altis
secretumque sibi mimum parat; hos amat, his se
ingerit utque suos semper producit alumnos.

Sic vulgo legebatur. Sed in versu 606 Beerius statuit codicem P exhibere *omni,* quam lectionem in textum recepit Bücheler, reiecerunt Weidner et Bobius (Progr. Kaiserslautern 1889), quorum hic recipere maluit codicum interpolatorum lectionem, quae est *omnes,* ille secutus est Marklandi und Heinrichii coniecturam *ulnis.* Sed intermissa quaestione, utrum opus sit coniectura necne, si coniicimus *ulnis*, hoc vocabulo qui legunt inducuntur, ut verba *hos fovet* separatim accipiant. At unum in enunciatum iungenda esse verba *hos fovet involvitque sinu* vel inde apparet, quod enunciati pars altera adiungitur particula *que.* Maxime autem, ut iungenda esse verba illa censeamus, movet, quod infantes a Fortuna non foveri patet nisi ipsa involvendi cura, ut *fovet involvitque sinu* idem sit ac *fovet involvens sinu.* Similia apud Vergilium, quem imitatum esse Iuvenalem satis constat, haud raro inveniuntur, velut Aen. I. 480 *ibant crinibus Iliades passis peplumque ferebant* i. e. peplum ferentes. Vocabulo autem *omnes* facile caremus, cum verbis *hos omnes* nihilo plus dicatur quam uno vocabulo *hos.*

Contra lectio, quae est *omni*, et codicis optimi auctoritate defenditur, et est non modo per se ferenda, sed etiam perbona. Nam quod *omnis* idem esse poeta vult ac *totus*, nihil habet difficultatis, cum haud paucis locis Iuvenalis vocabulo *omnis* ita utatur: I. 59, III. 55, V. 93, VI. 438, VIII. 132, 256, XIII. 204, XVI. 54. Praeterea *omni*, ut recte Beerius adnotavit, decies octies apud Iuvenalem legitur [1]) idque exceptis versibus VIII. 239, 256, XI. 174, XIII. 24, XIV. 11 [2]) ubique in fine versus.

Restat, ut explicemus, quid sibi velint verba *omni sinu*. Et patet vocabulo sinus hoc loco usum esse poetam de veste, ut alii et ipse IX. 33 *(fatum est et partibus illis, quas sinus abscondit); omni sinu* autem dicit, ut intentissimam Fortunae curam pingat, quemadmodum Ovidius de Niobe Metam. VI. 298 *quam toto corpore mater, tota veste tegens.*

Ac ne quid reliquisse videamur, de altera enunciationis parte ad alterum verbum posita vide sis haec Iuvenalis exempla: VI. 474 *toto Quid faciant agitentque die* et X. 29 *de limine moverat unum Protuleratque pedem* et VI. 359 *quem dedit haec posuitque modum* et XIV. 3 *quae monstrant ipsi pueris traduntque parentes.*

Apparet coniectura hoc loco opus non esse, sed scribendum cum codice optimo:

hos fovet omni involvitque sinu.

VII. 13 ss.

Queritur Iuvenalis satira septima de misera conditione eorum, qui illa aetate literarum artiumque liberalium studio se dederint. Satius est, inquit, studiis omissis vel vilissimo ministerio victum quaerere, munere fungi praeconis mancipis procuratoris: nam qui praeconium faciunt famem effugiunt neque opus eis est malis artibus. Certe eiusmodi officia longe praeferenda esse eis, quae homines improbi animi, sed felicis ingenii sibi elegerint velut equites isti semibarbari, qui cum olim servi fuerint ex Asia Cappadocia Bithynia Romam traducti, brevi per malas artes, imprimis perfidiam et periurium, ad equestrem pervenerint dignitatem.

Versus autem 13—16 vulgo ita scripti sunt:

Hoc satius, quam si dicas sub iudice „Vidi“
quod non vidisti; faciant equites Asiani
quamquam et Cappadoces faciant equitesque Bithyni,
altera quos nudo traducit Gallia talo.

E quibus versibus quintum decimum ante Buechelerum omnes fere critici voluerunt eiici et hodie eiiciendum censet Hofmann[3]), qui delendi causas a superioribus propositas repetere non dubitat. Quam ob rem accuratius de his versibus disserere mihi propositum est.

Nec potest negari inquinatum esse versum 15 turpissimo mendo ad rem metricam pertinenti, quod continetur vocabulo *Bithyni*, cuius syllaba prima, cum alibi et apud ipsum Iuvenalem semper producatur (X. 162, XV. 1), hoc quidem loco correpta sit. Sed interpolationis demonstrandae causa alias praeterea delendi ratiunculas extricarunt, de quibus nunc nobis agendum est. Qua in re Pinzgeri sequemur disputationem illam *De versibus spuriis et male suspectis in I. satiris* (1827), qui interpolationem detexit cuiusque argumentis posteriores nihil potuerunt addere.

Ac primum quidem vocabulum *quamquam* in versu 15 scriptum vituperatur. Nec vero modus coniunctivus *faciant* vocabulo illi additus interpolationis testis putatur, nam Iuvenalis semper vocabulum *quamquam* cum coniunctivo iunxit[4]); neque *quamquam* quarto demum loco et post verbum positum suspicionem movit, nam simillimum voculae positum[5]) invenimus VI. 198 s.

---

[1]) I. 59. III. 104. IV. 14. VI. 163, 606. VIII. 209, 239, 256. X. 232, 253, 280, 303. XI. 143, 174. XIII. 24. XIV. 11, 68, 237.

[2]) quos locos non satis accurate B. exscripsit.

[3]) München, Progr. 1890, p. 15.

[4]) II. 4. VI. 88, 199. X. 34. XI. 205. XII. 25. XIII. 172. XV. 30.

[5]) II. 59. dederit vivus cur multa puellae; III. 173. ipsa dierum festorum herboso colitur si quando theatro maiestas; V. 55. clivosae veheris dum per monumenta Latinae.

dicas haec mollius Haemo
Quamquam et Carpophoro;

sed offenditur criticus sententia versuum, quae contineatur enuntiato concessivo. Pinzger enim: *primum displicet,* inquit, *quamquam illud, quod non perspicitur, cur equitum istorum nequitia minorem facere possit eius culpam, quem h. l. alloquitur Iuvenalis.* At patet non id agere poetam, ut culpam minorem faciat, sed sine dubio *quamquam* illud dictum est ironice, et ita quidem ut videatur poeta posito equitum exemplo falsis testibus veniam dare, re vera eo ipso, quod nequissimorum hominum exemplo utitur, turpitudinis notam inurat eis, qui istorum rationem vivendi sequi animum induxerint. Ironia autem enuntiatum concessivum amplexa magnam habet vim neque ita raro invenitur; confer si placet VIII. 85 s.

dignus morte perit, coenet licet ostrea centum
Gaurana et Cosmi toto mergatur aeno;

et X. 33 ss.

perpetuo risu pulmonem agitare solebat
Democritus, quamquam non essent urbibus illis
praetextae trabeae fasces lectica tribunal.

Deinde Pinzger: *Displicet porro,* inquit, *quod Cappadoces et Bithyni commemorantur, postquam iam dixit Asiani, ad quos utrique illi pertinent.* Eum secutus Heinrichius ita iudicat: *als wenn Bithynier und Cappadocier nicht auch Asiani wären,* quae verba laudat Teuffelius in adnotationibus versioni additis. Censent igitur critici non recte cogitasse huius versus auctorem, qui speciem quae vocatur, Cappadoces et Bithynos, contulerit cum genere, Asianis. Unde effici non factum esse versum ab homine rerum Romanorum perito; ergo ab Iuvenale esse abiudicandum. Nec tamen erravit is, qui versum fecit, sed erravit Pinzger. Equites enim Asianos dicit esse equites ex Asia Minore quae vocatur oriundos. Quod quam imprudenter professus sit Pinzger, intelleget qui de provinciis in Asia sitis rerum scriptores consuluerit. Nam Asiae nomen potest illud quidem esse idem, quod postea est inde ab quarto p. Chr. saeculo Asia Minor, sed praecipue nomen Asiae semper adhibebatur de ea paeninsulae parte, quae anno 129 a. Chr. n. provinciae in formam redacta continebat Phrygiam Mysiam Cariam Lydiam cum insulis. Testis est Cicero pro Flacco 27, 65 *Asia vestra constat e Phrygia ctt.* et pro Deiot. 13, 36 *omnemque hanc Asiam, quae est nunc nostra provincia.* Asiani autem aut sunt publicani illi vectigalibus Asiae praefecti, de quibus h. l. sermo haud dubie non est, aut sunt provinciae incolae. Facile autem intellegitur ne potuisse quidem Asianorum nomine significari omnes Asiae Minoris gentes. Nam divisa erat Asia Minor in multas regiones et locorum natura et regnorum finibus et incolarum origine et moribus inter se maxime diversas[1]). Itaque cum unius nationis speciem incolae non praeberent, omnino fieri non poterat, ut Romani gentes illas uno nomine communi significarent, sed semper singularum provinciarum incolas singulari eorum nomine notabant, et uti Bithyniae incolas Bithynos, Cappadociae Cappadoces nominare solebant, ita Asiae incolas Asianos. Ergo Cappadoces et Bithyni non solum possunt cum Asianis enumerari, sed sunt tres illi, cum speciei et generis discrimen inter eos non intercedat, necessario aequandi. Quod quam verum sit, perspice quaeso ex his locis, ubi in terris enumerandis eandem scriptores secuti sunt rationem, quam h. l. Iuvenalis in gentium nominibus: Cic. pro Deiot. 13, 37 *in Asia Cappadocia Ponto Cilicia Syria bella gesserunt;* Caes. b. c. III, 3 *magnam ex Asia Cycladibusque insulis, Corcyra, Athenis, Ponto, Bithynia, Syria, Cilicia, Phoenice, Aegypto classem coegerat;* b. Al. 40, 5 *per Cappadociam se in Asiam recepit;* 78, 1 *ita per Gallograeciam Bithyniamque in Asiam iter facit;* Acta Apost. 2, 13 οἱ κατοικοῦντες τὴν Μεσοποταμίαν, Ἰουδαίαντε καὶ Καππαδοκίαν, Πόντον καὶ τὴν Ἀσίαν, Φρυγίαντε καὶ Παμφυλίαν. Confer si placet C. I. L. III, 859, 860, 870, 882 (p. 160) de colonis in Daciam profectis ex Asia Galatia Caria.

[1]) Mommsen, Roem. Gesch. V. p. 295 ss.

Sequitur eum, qui scripsit versum 15, nihil posuisse de Asianis, Cappadocibus, Bithynis, quod Iuvenale indignum sit.

Dissolutis igitur his Pinzgeri dubitationibus sequitur, ut argumentum ad augendam suspicionem e versu 16 petitum accuratius excutiamus. Continetur versus 16 enuntiato relativo et Pinzger servata codicum scriptura (*altera quos nudo traducit Gallia talo)* pronomen relativum ad ultimum eorum, quae supra enumerata sunt, nominum referendum censet, Bithynos. Quod verum esse a primo negamus. Nam cum plura nomina supra commemorata sint: quid est, quod relativum illud ad unum ex eis referendum credamus? quid impedit, quominus ad omnia referamus? Cum Pinzgero si faceremus voculam *quos* ad solos Bithynos referentes, haec evaderet sententia: *Bithyni, quos altera Gallia servos Romam traducit.* Alteram Galliam autem Pinzger cum ceteris dicit eam esse Asiae Minoris partem, ubi inde ab anno 275 a. Chr. n. Galli illi vagantes sive Galatae consederant et cui ab illis nomen Galatia inditum erat. Patet sententiam evadere plane ineptam, cum Galatia, terra parva ceteris Asiae terris undique cincta, quasi emporium dicatur, unde servi isti Romam transvecti sint. Locum igitur ita expositum recte Pinzger in suspicionem vocavit his verbis: *sed quomodo Bithyni e Galatia traducti esse dici possunt?* At deleto versu 15 et concessa Pinzgeri interpretatione, qua equites Asianos dicit homines ex omnibus Asiae Minoris gentibus collectos, tamen eadem mihi quidem videtur remanere difficultas: quomodo homines illi ex tota Asia Minore conducti e Galatia transvecti esse dici possunt? Apparet mendum illud a Pinzgero, ut interpolationis suspicionem fulciret, notatum ne deleto quidem versu 15 sanari.

Quod cum ita sit, non videtur ab re esse, praesertim cum reliquas quoque critici dubitationes non iustas esse viderimus, versus quales sunt in libris interim retinere et ingredi explicandi viam.

Nec tamen licet Pinzgeri interpretationem sequi, quam verum non assequi intelleximus, sed diversam ineamus rationem. Et invenimus aliam interpretationem in verbis scholiastae, qui haec exhibet: *id est Gallograeci qui nudis ambulant pedibus ac per hoc abiecti, Galatae.*

Elucet ex his verbis scholiastam versum 16 intellexisse circumlocutionem nominis Galatarum, ut evadat periphrasis quae dicitur, cuius similes cum apud alios poetas, tum apud Iuvenalem saepius inveniuntur. E multis exemplis adscribere liceat haec:

III. 138 s. . . . . . procedat vel Numa vel qui
servavit trepidam flagranti ex aede Minervam;
VIII. 264 s. quod miraretur cum Coclite Mucius et quae
imperii fines Tiberinum virgo natavit;
X. 78 s. . . . . . nam qui dabat olim
imperium fasces legiones omnia, nunc se
continet;
X. 109 ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites;
X. 126 s. . . . . . saevus et illum
exitus eripuit, quem mirabantur Athenae
torrentem et pleni moderantem frena theatri;
XVI. 6 et Samia genetrix quae delectatur harena.

Quae interpretatio, cum per se sit ferenda, hoc quidem loco non videtur accipi posse. Nam si verbis *altera quos cett.* quartum nomen poeta addere voluisset, sine dubio relativum *quos* per coniunctionem copulativam addidisset, id quod semper factum esse constat. Sed ut vocula *et,* quae sola locum habere potest, in fine versus 15 post vocem *Bithyni* inseratur, fieri non potest, quia Iuvenalis voculam *et* patitur illam quidem in fine versus, sed non admisit cum elisione eius quae antecedit syllabae in vocalem vel literam *m* exeuntis. Vide sis hos Iuvenalis locos, quorum nullus elisionem praebet: II. 146, VIII. 62, X. 85, XIII. 160, XIV. 143, XV. 47. Male igitur Weise (Vind. Iuv., Halis 1884) scripsit *Bithyni et,* qua lectione recepta facilius rem intellegi non negamus.

Itaque cum neque Pinzgerum neque scholiastam sequi liceat, relinquitur, ut ipsi locum interpretari audeamus. Relativum *quos* autem in versu 16 scriptum sine dubio referri posse supra exposuimus ad omnia quae in versibus 14 s. leguntur nomina, ut quae enuntiato relativo continentur non solum de Bithynis, sed de Asianis Cappadocibus Bithynis pariter dicantur. Neque erit, qui nobiscum facere dubitet, praesertim cum arcte inter se singula nomina coniuncta sint voculis *et-que*. Hic quaerat quispiam, num hi omnes e Galatia Romam traducti esse recte dici possint. Quod fieri posse equidem non dubito pro certo negare commotus iisdem argumentis, quibus solos Bithynos e Galatia traductos esse cum Pinzgero negavi. Apparet omnem interpretandi rationem haerere in verbis illis, quae sunt *altera Gallia,* et sequitur huius locutionis explicationem caput esse totius interpretationis.

Sed id ipsum quaeritur, num scribendum sit *altera Gallia.* Praebet enim codex Pith. *gallica* (i. e. Pantoffel), manus eius emendatrix exhibet *gallia,* codices deteriores omnes item habent gallia. Pithoeanum autem secutus lectionem *gallica* recepit Buecheler, ut haec versus sententia videatur esse: *quos ridiculos facit nudo talo altera gallica.* De traducendi verbo confer VIII. 17 et XI. 31. Sed videtur haec lectio ferri non posse: nam eorum, quibus poeta equitum istorum nequitiam et malas artes castigat, verborum severitatem atque acerbitatem imminui et paene extingui addita hac indecori habitus [1]) vituperatione, quis est quin sentiat? Et quod multo maius est, quid sit *altera gallica,* nemo adhuc pro certo dicere potuit. Nam qui intellegit equites istos nudos fuisse altero pede, is docere debebit, quomodo potuerit fieri, ut non ambos pedes aut nudos haberent aut calceatos. Weidner dicit *alteram gallicam* nomen accepisse ab altera Gallia, unde Romam id genus solearum pervenerit; sed dubitat, utrum in Transalpina fuerit gallicarum fabricator, an in Galatia. Quod quam non sit verisimile, vel inde apparet, quod scriptorum locos vir doctus non attulit. Si dixisset poeta *barbara gallica* vel *sordida gallica* interpretandi facultas esset, nunc cum scriptum sit *altera,* quid sibi velit versus, non videmus. Quod cum ita sit, videtur praeferenda esse vulgata lectio: *altera Gallia.*

Usitatam autem horum verborum explicationem a scholiasta profectam, qua Galatarum nominis circumlocutionem subesse dicit, neque aptam sententiam sine particula copulativa praebere supra diximus, neque concedendam esse ullo modo demonstrari potest. Nusquam enim Galatiam similiter nominatam invenimus[2]), neque facilius qui hos versus legebant veteres vidisse puto Galatiam intellegendam esse quam nos hodie videmus, priusquam commentarium consuluimus. Et ut in calculo facillime fit, ut leve aliquod mendum fugiat eum qui computat et iterum atque iterum neglectum tandem efficiat, ut de solvenda ratione ille desperet, ita falsa illa explicatio editores multos decepit, ut tandem versum eiicere mallent, quam diutius in difficillima hac quaestione operam et oleum perdere. Opus est igitur verborum, quae sunt *altera Gallia,* veram requirere explicationem.

Studet hoc, de quo agitur, loco poeta verbis efferre Italorum invidiam motam crebro provincialium Romae concursu et eorum infimi generis, qui olim servi malis artibus equestrem dignitatem et summos rei publicae honores assecuti erant. Similia huius invidiae testimonia, qualia omnium animis maxime conveniebant, apud multos aetatis imperatoriae scriptores inveniuntur, velut apud Martialem X, 76 ss.

Hoc, Fortuna, tibi videtur aequum?
Civis non Syriaeve Parthiaeve,
Nec de Cappadocis eques catastis,
Sed de plebe Remi Numaeque verna,
Iucundus, probus, innocens amicus,
Lingua doctus utraque, cuius unum est,
Sed magnum vitium, quod est poeta,
Pullo Maevius alget in cucullo,
Cocco mulio fulget Incitatus.

[1]) Cic. Phil. II. 30. 76. Gellius 13, 22 (21), 1. Suet. Calig. 52.
[2]) Cic. de prov. cons. 17 alteram Galliam esse vult Transalpinam.

Satis erit addidisse Iuvenalem hac quoque in re aequalium simillimum fuisse neque silentio quid sentiret praeteriisse: confer si placet I, 24 ss. 99 ss. III, 58 ss. 69 ss. 81 ss. IV, 32 s. Iam Caesarem barbaros in curiam duxisse notum est; qua de re Mommsenus (R. G. III^{6} p. 489) haec scripsit: ehemalige durch den Censor oder infolge eines Richterspruches von der Liste gestrichene Senatoren, Auslaender aus Spanien und Gallien, welche zum teil erst im Senat ihr Lateinisch zu lernen hatten, Soehne von freigelassenen Leuten oder von solchen, die unehrenhafte Gewerbe betrieben. Post Caesarem imperatores[1]) magis magisque libertinos et provinciales ad summos honores promovisse constat: confer Taciti annal. XIII. 27 *quippe late fusum id corpus* (i. e. libertinos Neronis aetate) . . . *plurimis equitum, plerisque senatoribus non aliunde originem trahi: si separarentur libertini, manifestam fore penuriam ingenuorum.*

In eis autem, qui imprimis odium et invidiam Romanorum moverant, fuerunt Galli. Id verum esse e duobus Suetonii locis elucet, qui sunt in vita Caesaris cap. 76: *et quosdam e semibarbaris Gallorum recepit in curiam;* et cap. 80 *peregrinis in senatum allectis libellus propositus est: Bonum factum: ne quis Senatori novo curiam monstrare velit; et illa vulgo canebantur:*

Gallos Caesar in triumphum ducit, idem in curiam,
Galli bracas deposuerunt, latum clavum sumpserunt.

Ipse Iuvenalis sat. I, 109 unum ex eis in scaenam producit, Licinum quendam, quem Caesar e Gallia servum secum duxerat. Postea manumissus et curationi Galliarum ab Augusto praefectus eas spoliavit, ut Crassi opes exhaurire diceretur et divitiae eius in proverbium venirent, unde Persius II, 36

nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedis.

Itaque cum ab initio ex eis, qui invidiam moverant, imprimis Galli Italis odio fuerint et hoc loco, ubi de incolis aliarum provinciarum Gallorum simillimis agitur, patria istorum hominum appelletur *altera Gallia*: quid veri similius est, quam significari his verbis terram Galliae similem et dignam, quae propter incolas comparetur cum ipsa Gallia, unde venerant Romam tot homines nequissimi? Certe concedi potest haec explicatio, cum nec discrepet cum fide historica, nec aliena sit a sermone latino. Nam vocabulum *alter* coniunctum cum nominibus appellativis vel nominibus propriis appellative positis idem valere atque *similis* idemque esse quod nostrum *ein anderer, ein zweiter,* ut in locutionibus illis usitatissimis *alter Verres, alter Romulus, alter Mars,* inter omnes constat. Commendatur autem explicatio eo, quod evadit sententia plane satirica Iuvenale non indigna: noli imitari equites Asianos Cappadoces Bithynos, qui nudis pedibus e provinciis illis Galliae, tot equitum barbarorum patriae, simillimis Romam transmissi malis artibus e servis divites nobilesque facti sunt.

Ex omnibus igitur dubitationibus reliquum est unum mendum illud ad rem metricam pertinens, quod in vocabulo *Bithyni* positum esse nemo negabit, cum ad defendendam hanc vocabuli mensuram nihil praebeant Iuvenalis carmina[2]). Sed detecti eiusmodi mendi quaerenda est sanatio. Et conatus est medelam loco adferre C. F. Hermannus (de codd. Iuv. p. 19, cfr. praef. edit. p. XXVI), et ita quidem ut *Bithyni* et *Asiani* locos mutarent. Levior est Francisci Volcmari Fritzschii transpositio[3]), qui voculam *que* in codicibus coniunctam cum voce, quae est *equites,* adiiciendam censebat vocabulo *faciunt,* ut haec hemistichii forma evadat: *faciantque equites Bithyni.*

Versus igitur 13—16 recte scribere mihi videor ita:

Hoc satius quam si dicas sub iudice „vidi“
quod non vidisti, faciant equites Asiani
quamquam et Cappadoces, faciantque equites Bithyni,
altera quos nudo traducit Gallia talo.

Quae scriptura et interpungendi ratio insuper commendatur caesura et verborum collocatione, quae simillima sit versui 198 satirae sextae

---

[1]) cfr. Friedlaender S. R. I^{5}, p. 74 s., 87, 200 ss., 250 ss.
[2]) VI, 167 *venŭsinam,* I, 51 et apud ceteros *venŭsinam*; correxit VI, 167 Buecheler in *Venustinam.*
[3]) nuper a Buechelero quoque proposita.

VI, 198 s. . . . dicas haec mollius Haemo | quamquam et Carpophoro
VII, 14 s. . . . faciant equites Asiani | quamquam et Cappadoces.

Denique quod est versus 15 spondiacus apud Iuvenalem nihil habet offensionis, qui saepius spondeum admisit in quinto versus pede, praecipue in nominibus propriis et vocabulis graecis. Nomina propria in fine versus collocata, ut spondiaci evadant, in Iuvenalis satiris inveniuntur his locis: I, 52. II, 145. III, 120. IV, 53. VI, 71. 296. 462. 620. VIII, 218. X, 151. XIV, 329.

VIII. 241.

tantum igitur muros intra toga contulit illi
nominis ac tituli, quantum non Leucade, quantum
Thessaliae campis Octavius abstulit udo
caedibus adsiduis gladio, sed Roma parentem,
Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit.

In versu 241 in codice P. scriptum fuit *quantum in Leucade;* eiusdem autem codicis manus altera e codicibus interpolatis recepit *quantum non Leucade,* quod in textu posuerunt cum alii plerique, tum Iahnius et Buecheler in editione altera. Sed hanc lectionem, quam ne Iahnio quidem satisfecisse Hermannus in praefatione (XXVIII) dicit, omni carere probabilitate evicerunt Kiaerius (83 squ.) et Weidner (Emendatt. Iuvenal., Progr. Dortmund 1887). Rectissime enim Weidner contendit codicum interpolatorum lectionem supra exscriptam enarrari non posse nisi in hunc modum: Ciceronem Catilinae coniuratione oppressa tantum nominis tulisse, quantum Octavius non Actiaca, sed Philippensi demum victoria tulerit. Cui sententiae ipsam temporum rationem et proeliorum ordinem repugnare. Et quod deinceps sequatur *sed Roma parentem Ciceronem libera dixit,* hoc paullo ante Ciceronis aequalem cum Octavio laudem et gloriam praedicatam fuisse documento esse: Ciceronem in pace industria et sollertia eundem titulum sibi peperisse, quem Octavius cruentis proeliis abstulerit. Hermannus coniecit ille quidem *quantum vix Leucade,* quae collocatio verborum apta est versuum sententiae cuiusque exemplum ipse Iuvenalis praebet IV. 109 (*quantum vix redolent duo funera),* sed ipse suae se medelae audaciam desparata tantum loci condicione tueri concessit. Kiaerius scribere maluit *quantum Leucate,* ut evadat versus spondiacus qui dicitur isque parum elegans. Weidner in priore editione scripsit *quantum dein Leucade,* in quibus molestum est vocabulum *dein;* in altera proposuit *quantum unda Leucade,* quae tamen coniectura neque persuadendi vim videtur habere, quia proelii et maritimi et terrestris atrocitatem non ab ipso poeta, sed ab editore componi cum uno Ciceronis de pace merito manifestum est, et a sermonis Latini proprietate abhorret, qua postulari videtur *unda Leucadia.* Buecheler in tertia editione cod. P. secutus scripsit *quantum in Leucade* addita hac nota: *in corrupte P.* Sequitur nondum sanatum esse locum.

Emendationis fundamenta posita sunt in scriptura illa codicis Pithoeani, quae est *quantum in Leucade.* Et videtur ante vocem *Leucade* excidisse syllaba principio huius nominis similis, deinde a librariis propter hiatum, qui est in verbis *quantum in,* pro praepositione illa substituta esse particula *non,* velut pro *non* Hermannus substituendum putabat *vix.* Excidisse igitur suspicor ante *Leucade* literas *SE,* ut evadat lectio *quantum in se Leucade, quantum Thessaliae campis Octavius abstulit.* Ita vocabulo *illi* in priore membro posito respondent in versu 241 verba *in se,* ut Octavianum sua cupiditate tractum, Ciceronem utilitate communi impulsum fuisse magis appareat. Quod ad verbum auferendi additum est pronomen, confer Livianum illud *gloriam victoria in se rapere* et Ciceronis verba (pro Mil. 63) *quin . . secum auferret gloriam sempiternam.* Praepositionis autem *in* cum accusativo coniunctae et pro dativo positae exemplum praebet ipse Iuvenalis II. 78 *dedit hanc contagio labem et dabit in plures.*

Haec omnia cum mecum reputo, nescio an scriptum fuerit a poeta

tantum igitur muros intra toga contulit illi
nominis ac tituli, quantum in se Leucade, quantum
Thessaliae campis Octavius abstulit.

XI. 147 squ.

Non Phryx aut Lycius, non a mangone petitus
quisquam erit: in magno cum posces, posce latine.

Quaeritur, quid sit *in magno cum posces.* Sunt, qui haec verba censeant idem valere ac *in magno poculo cum posces bibere.* Sed facere non possumus, quin dubitemus, an non latine haec dicta sint. Certe ab ipso Iuvenale verbo bibendi semper adiungitur ablativus vasorum, quibus potio continetur: II. 95 *vitreo bibit ille priapo;* VI. 304 *cum bibitur concha;* X. 25 *nulla aconita bibuntur fictilibus;* XII. 47 *biberat quo callidus emptor Olynthi.* Idem verbo cenandi addere solet ablativum: III. 142 *quam multa magnaque paropside cenat;* 168 *fictilibus cenare pudet.* Apud Ciceronem scriptum videmus: *poscunt maioribus poculis.* At ut possit dici *poscere in magno,* huius loci argumento haec apta non sunt. Nam in cenis sumptuosorum hominum initio calicibus bibere solebant, deinde cum ad potationem ventum erat, pocula maiora poscebantur. Huius autem carminis argumentum cum positum sit in laudanda poetae parsimonia, castiganda aequalium luxuria, poculorum maiorum et potationis mentionem ut in cenula frugi alienissimam esse apparet. Ipse paullo ante v. 145 dicit: *plebeios calices et paucis assibus emptos porriget.* Abhorret igitur a totius loci indole verborum, quae sunt *in magno cum posces,* complexio. Et recte videtur iudicare Weidner, cum dicit adhaerentibus verbis *in magno* imminui et infirmari vim breviter dicti *cum posces, posce latine.* Accedit, quod coniunctis verbis *in magno cum posces, posce latine* mira evadit sententia, proinde quasi latine poscere amicus non iubeatur, nisi cum poscat poculis maioribus.

Apparet mendum latere in verbis *in magno.* Et erant, qui haec verba delenda esse censerent: deletis hemistichiis illis *non a mangone petitus quisquam erit in magno* primus Guyetus versus 147 et 148 in unum coegit et post eum Hermannus, Ribbeckius, Iahnius (1868), Weidner[1], e quibus accuratius de versuum conditione disputans Ribbeckius (der echte ct. p. 134) aperte confitetur non intellexisse se verba *in magno.* Weidner in editione altera versus servandos esse, sed prorsus obscura esse verba *in magno* ratus coniecit pro *in magno* scribendum esse *Armenio,* ut exoriatur haec versuum forma:

non Phryx aut Lycius, non a mangone petitus
quisquam erit Armenio: cum posces, posce latine.

Sed primum quod dicit epitheton mangoni addi oportere, cum eo facere non possumus. Deinde ne audacius coniecerit vir doctus, vereor: non habet, quo tueatur *mangonis Armenii* appellationem. Nam quod laudat Martialis verba (VII. 80) *Mytilenaei roseus mangonis ephebus,* Mytilenaei mangonis mentio videtur e re esse, cum in insulis maris Aegaei servorum venationes institutas esse et venaliciariam floruisse inter omnes constet: ex Armenia servos esse traductos nusquam scriptum est. Sequitur Weidneri coniectura locum sanatum non esse.

Mea quidem sententia hic decet audire Iahnium monentem, ne prorsus in textu restituendo respuendos esse codices deteriores arbitremur. Et receptas esse codicum illorum lectiones non uno loco, quia vera lectio in P librariorum errore corrupta atque obscurata est, in ω casu servata, quis est qui nesciat? Confer quae supra disputavismus ad II. 43 et VI. 415, ubi vera lectio extat in codicibus interpolatis. Hoc autem loco codices deteriores exhibent *et magno.* Recepta igitur hac lectione videtur coniungendum esse vocabulum *magno* cum *petitus* et colon ponendem post *magno:* nam verbo *petendi* saepius ita usus est poeta (VI. 527, 603, IX. 149) et ablativus *magno* ad similitudinem verborum emendi cum alio verbo coniunctus est VI. 73 (*solvitur his magno comoedi fibula.*) Sententiae similis est quintae satirae versus 56 *flos Asiae ante ipsum pretio maiore paratus.* De verborum autem collocatione monendum est duo membra copulative iuncta ita Iuvenalem plerumque distrahere, ut inter prius et particulam voces utriusque communes interiiciat (Kiaer p. 18), cuius generis haec sunt: VI. 559 *magnus civis obit et formidatus Othoni;* VIII. 217 *sed nec Electrae iugulo se polluit aut Spartani sanguine coniugii;* IX. 123 *quorum animas et farre suo custodit et aere;* X. 5 *ut te conatus non paeniteat votique peracti.* Plura attulit Kiaerius loco laudato.

Scribendi igitur videntur versus ita:

Non Phryx aut Lycius, non a mangone petitus
quisquam erit et magno: cum posces, posce latine.

Et tantum abest, ut eiusmodi sententia a totius loci indole abhorreat, ut optime consentiat cum huius satirae partis argumento, quod est de frugalitate poetae castigantis aequalium luxuriam. Caesurae autem ratione habita bene coniunguntur verba illa in P corrupta cum priore versus parte, qua de re Kiaerius p. 7 haecce: *a caesurae intervallo, ubi fieri potest, apodosin et novam sententiam secundariam vel pendentem incipit, ibi anaphoram vel asyndeton ponit, verbum substantivum omittit, hiatui indulget, ut brevi praecidam, omnibus modis operam dat, ut ipsa oratio aptum insistendi tempus lectori praebeat.* Adde, quod commendatur haec verborum distributio scholiastae adnotatione, qui scripsit: *quisquam erit i. m. quales vendunt care mancipari.*

Scribebam feriis aestivis 1895.



[illegible]